



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput XXX. Aliud Patientiæ indicium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

data prædictus Prior jamjamque reformationis opus dicti Monasterij, quod inceperat, continuare non neglexit, præmemoratus verò Militaris Castris Wewelsburg ( per quem sæpè dicto Priori bellum motum fuit ) ut præfertur, viceversa belli periculum non evasit, factum est namque sibi bellum, per quod non parvum damnum domus ipsius sustinebat.

## C A P U T   X X X .

### *Aliud Patientiæ indicium.*

**U**T patientiam prædicti Prioris adhuc amplius palam faciam, id quod sequitur, audiatur, nam præfatus Prior, qui Dominus & Holtgravius est sylvæ, quæ vulgato nomine de Tüdorper Marck dicitur, dum in ea suos subjectos familiares ligna secare fecerat supervenerunt villani utriusque villæ Tüdorper numero circa 24. & violenta manu contra DEUM, & justitiam à prædictis Familiaribus pignora recipientes non solum eosdem abire compulerunt, sed & duo ex dictis villanis animo magis feroces & protervi unum de Familiaribus Prioris graviter vulneraverunt, & ecce Prior patienti animo Domino DEO hoc conquestus vindictam super Villanos ante dictos minimè expetivit. Quapropter Domino DEO disponente omnes prædicti Villani, qui præfatum contumeliam Monasterio intulerant, compuncti DEO, ac S. MEINULPHO de transgressu unanimiter ( uno tantum excepto nomine Joannes Gauserat ) satisfacere volentes, ad idem Monasterium pervenerunt, in quo jam existentes, ut simul de præmemorato transgressu agerent penitentiam, unus eorum ardenti cereo manu arrepto nudipes, nudoque capite incedens, alij complices consimiliter nudipedes, ut decens erat, sequebantur, sicque summum Altare ante dicti Monasterij omnes accefferunt, ubi genibus flexi, quasi uno ore devotum Monasterij Priorem præsentem suo Conventu humiliter rogantes exorabant, ut injuriam per ipsos suis subditis illatam remittere vellet propter DEUM, addentes, quòd consimile factum post hac nunquam vellent attentare, insuper & de cetero se semper Monasterio B. MEINULPHI fideles exhibere. His ita peractis ille alius Villanus, qui supra dictæ  
lesio-



læsionis cooperatoꝛ fuerat , ad prædictam penitentiam cum alijs se recusans suscipere , statim à supremo Iudice ad aliam penitentiam subeundam iudicatus celeri morte ab hoc mundo sublatus erat. Huius etiam Prioris tempore , quo Monasterium rexit Bøddecense , Monasterium Neuffiense de Reformatis Regularibus , sub quo tunc Monasterium B. MEINULPHI cum nonnullis numero decem constitutum erat , Capitulo Windesemensi , prout antea diu desiderabatur , ad perpetuam Colligationem iungebatur.

## C A P U T XXXI.

### *De Translatione ejus ad suum proprium Monasterium.*

**P**ostquam præfatus Prior B. MEINULPHI Monasterium in quintum annum laudabiliter rexerat , ac ipsius investitionis domus B. Catharinæ Virginis propè Novimagium situatum , proprio Pastore viduata fuit , eadem domus ipsum ad se revocans , in Priorem sibi , prout licuit , prælegit , ubi dum aliquantulum tempus exegerat , in regimine , jam senio confectus ac viribus destitutus ultimum clausit vitæ suæ diem , perventurus , ut piè creditur , ad Dominum DEUM , qui omnem diem fecit & constituit.

## C A P U T XXXII.

### *Miraculum de monstruoso Partu.*

**A**udiatur nunc res gesta multum auditui horrenda postquam enim prædictus Prior bonæ memoriæ , dum adhuc in vita erat , & de Monasterio B. MEINULPHI ad suum proprium translatus fuerat , & nondum Canonix Bøddecensi de novo Priore provisum erat , quidam Militaris Diæcesis Paderbornensis nec DEUM timens nec homines reverens porcos Regularium violenter abegit , & ad Castrum suum ducens eosdem mactari fecit. Quo peracto Uxor ejus vicina partui quoddam monstrum in aliqua sui parte simile porco parturijt , sicut una de obstetricibus , quæ præsentibus  
K 2 erant ,